



Esercizi sulla sintassi dei casi

Nominativo

Traduci e spiega l'applicazione della sintassi dei casi.

1. Flentibus hinc Varius discedit maestus amicis. (HOR.) **T**
2. Et Laelia, Gai filia, reddidisse in loquendo paternam elegantiam dicitur, et Hortensiae Quinti oratio apud triumviros habita legitur non tantum in sexus honorem. (QUINT.) **T**
3. Sed tamen mihi, qui dissenserunt, videntur non tam discentibus in hac parte quam doctentibus pepercisse. (QUINT.) **T**

Gravi perdite

Pompeius eo proelio imperator est appellatus, atque ita se postea salutari passus, sed neque in litteris praescribere est solitus neque in fascibus insignia laureae praetulit. At Labienus cum ab eo impetravisset ut sibi captivos tradi iuberet, omnis productos ostentationis, ut videbatur causa, quo maior perfugae fides haberetur, commilitones appellans et magna verborum contumelia interrogans solerentque veterani milites fugere, in omnium conspectu interfecit.

CESARE

4. Septimo die, cum iter non intermitteret, ab exploratoribus certior factus est Ariovisti copias a nostris milia passum quattuor et viginti abesse. (CAES.)
5. Quam multos scriptores rerum suarum magnus ille Alexander secum habuisse dicitur! (CIC.)
6. Non incommodum videtur non praeterire Hamilcarem et Hannibalem, quos et animi magnitudine et calliditate omnes in Africa natos praestitisse constat. (C. NEP.)
7. Quingenti fere Numidae, repente ex equis desiliunt, parmisque et iaculis ante pedes hostium proiectis in mediam aciem accepti ductique ad ultimos considerare ab tergo iubentur. (LIV.)
8. Memet in hac strage militum meorum patere exspirare, ne aut reus iterum e consulatu sim, aut accusator collegae existam, ut alieno crimine innocentiam meam protegam. (LIV.)

Un regime odiato

Postquam Corinthum pervenit Dion et eodem perfugit Heraclides ab eodem expulsus Dionysio qui praefectus fuerat equitum, omni ratione bellum comparare coeperunt. Sed non multum proficiebant, quod multorum annorum tyrannis magnarum opum putabatur: quam ob causam pauci ad societatem periculi perducebantur. Sed Dion, fretus non tam suis copiis quam odio tyranni, maximo animo duabus onerariis navibus quinquaginta annorum imperium munitum quingentis longis navibus, decem equitum centumque peditum milibus, profectus oppugnatum, quod omnibus gentibus admirabile est visum, adeo facile perculit, ut post diem tertium, quam Siciliam attigerat, Syracusas introierit. Ex quo intellegi potest nullum esse imperium tutum nisi benevolentia munitum.

CORNELIO NEPOTE

Accusativo

Traduci e spiega l'applicazione della sintassi dei casi.

1. Quem neque pudet quicquam neque metuit quemquam neque legem putat tenere se ullam. (TER.) **T**
2. Quod si erit factum, et rem publicam divino beneficio affeceris et ipse aeternam gloriam consequere. (CIC.) **T**
3. O fortunate adulescens, qui tuae virtutis Homerum praeconem inveneris! (CIC.) **T**

Un fenomeno scientifico

Pericles, et auctoritate et eloquentia et consilio princeps civitatis suae, cum sol defecisset, et tenebrae factae essent repente, Atheniensiumque animos summus timor occupavisset, docuisse cives suos dicitur, id quod ab Anaxagora, cuius auditor fuerat, ipse acceperat, certo illud tempore fieri et necessario, cum tota se luna sub orbem solis subiecisset. Quod cum disputando rationibusque docuisset, populum liberavit metu: erat enim tum haec nova et ignota ratio, solem lunae oppositu solere deficere; quod Thaletem Milesium primum vidisse dicunt.

CICERONE

4. Longo circuitu easdem omnes iubet petere regiones. (CAES.)
5. Voluntatis me meae numquam paenitebit. (CIC.)
6. Nostras iniurias nec potest nec possit alius ulcisci quam vos, patres conscripti: ad vos vestramque fides supplices confugimus. (LIV.)
7. Consul ex dictatura factus M. Valerius. Non petentem atque adeo etiam absentem creatum tradidere quidam et per interregem ea comitia facta; id unum non ambigitur, consulatum cum Apuleio Pansa gessisse. (LIV.)
8. Quosdam et iacentes vivos, succisis feminibus poplitibusque, invenerunt, nudantes cervicem iugulumque, et reliquum sanguinem iubentes haurire. (LIV.)

Difendo la repubblica

Multa me dehortantur a vobis, Quirites, ne studium rei publicae omnia superet: opes factionis, vostra patientia, ius nullum, ac maxime quod innocentiae plus periculi quam honoris est. Nam illa quidem piget dicere, his annis quindecim quam ludibrio fueritis superbiae paucorum, quam foede quamque inulti perierint vestri defensores, ut vobis animus ab ignavia atque socordia corruptus sit, qui ne nunc quidem obnoxii inimicis exurgitis atque etiam nunc timetis eos, quibus decet terrori esse. Sed quamquam haec talia sunt, tamen obviam ire factionis potentiae animus subigit. Certe ego libertatem, quae mihi a parente meo tradita est, experiar. Verum id frustra an ob rem faciam, in vostra manu situm est, Quirites.

SALLUSTIO



Genitivo

Traduci e spiega l'applicazione della sintassi dei casi.

1. Haec («Queste mosse») procul ex oppido videbantur, ut erat a Gergovia despectus in castra, neque tanto spatio certi quid esset explorari poterat. (CAES.) **T**
2. Hic ego: «Pluris hoc – inquam – mihi eris». (HOR.) **T**
3. Non nostrā magis quam vestrā refert vos non rebellare. (LIV.) **T**

La vera ricchezza

Si isti callidi rerum aestimatores prata et areas quasdam magno aestimant, quod ei generi possessionum minime quasi noceri potest, quanti est aestimanda virtus quae nec eripi nec subripi potest, neque naufragio neque incendio amittitur, nec tempestatum nec temporum perturbatione mutatur? Qua praediti qui sunt, soli sunt divites.

CICERONE

4. In parentibus vero quam plurimum esse eruditionis optaverim. (QUINT.)
5. Fortis animi est non perturbari. (CIC.)
6. Plerique tantum viventes amant seu potius amare se simulant ac ne simulant quidem, nisi quos florentes vident. Nam miserorum non secus ac defunctorum obliviscuntur. (PLIN. IUN.)
7. Albam in Aequos sex milia colonorum scripta. Sora agri Volsci fuerat, sed possederant Samnites; eo quattuor milia hominum missa. (LIV.)
8. O di, si vestrum est misereri, aut si quibus unquam extrema iam ipsa in morte tulistis opem, me miserum aspiciate. (CATULL.)

Ad Attico dall'esilio

Cum vacui temporis nihil haberem, et cum recreandae voculae causa necesse esset mihi ambulare, haec dictavi ambulans. Primum igitur illud te scire volo, Sampsiceramum nostrum amicum vehementer sui status paenitere restituique in eum locum cupere ex quo decidit, doloremque suum impertire nobis et medicinam interdum aperte quaerere, quam ego possum invenire nullam; deinde omnis illius partis auctores ac socios nullo adversario consenescere, consensionem universorum nec voluntatis nec sermonis maiorem umquam fuisse. Nos autem publicis a consiliis nullis intersumus totosque nos ad forensem operam laboremque contulimus. Ex quo, quod facile intellegi possit, in multa commemoratione earum rerum quas gessimus desiderioque versamur. Credibile non est quantum ego in consiliis prudentia tua, quodque maximum est, quantum in amore et fide ponam. Magnitudo rei longam orationem fortasse desiderat, coniunctio vero nostrorum animorum brevitate contenta est. Permagni nostra interest te, si comitiis non potueris, at declarato illo esse Romae.

da CICERONE

Dativo

Traduci e spiega l'applicazione della sintassi dei casi.

1. Hannibal uno loco se tenebat, in castello quod ei a rege datum erat muneri. (C. NEP.) **T**
2. Persuasum omnibus est, mihi que maxime, nos a te diligi. (CIC.) **T**
3. Interim Pompeius, hac satis longa interiecta mora et re nuntiata, V legiones ab opere deductas subsidio suis duxit. (CAES.) **T**

Il senso della vita

Quae homines arant, navigant, aedificant, virtuti omnia parent. Sed multi mortales dediti ventri atque somno, indocti incultique, vitam sicut peregrinantes transiere. Quibus profecto contra naturam corpus voluptati, anima oneri fuit. Eorum ego vitam mortemque iuxta aestumo, quondam de utraque siletur. Verum enimvero is demum mihi vivere atque frui anima videtur, qui, aliquo negotio intentus, praeclari facinoris aut artis bonae famam quaerit.

SALLUSTIO

4. Hamilcar cognomine Barca admodum adolescentulus in Sicilia praeesse coepit exercitui. (C. NEP.)
5. Quod si haec vox, huius hortatu praeceptisque conformata non nullis aliquando saluti fuit, a quo id accepimus quo ceteris opitulari et alios servare possemus, huic profecto ipsi, quantum est situm in nobis, et opem et salutem ferre debemus. (CIC.)
6. Est igitur, Quirites, populo Romano, victori omnium gentium, omne certamen cum percussore, cum latrone, cum Spartaco. (CIC.)
7. Non ego sum laudi, non natus idoneus armis: hanc me militiam fata subire volunt. (PROP.)
8. Nam mihi quale ingenium haberes fuit indicio oratio, et cum egomet nunc mecum in animo vitam tuam considero omniumque adeo vostrarum, vulgus quae ab se segregant, et vos esse istius modi et nos non esse haud mirabilest. (TER.)

Che fare?

Si vos valetis, nos valemus. Vestrum iam consilium est, non solum meum, quid sit vobis faciendum. Si ille¹ Romam modeste venturus est, recte in praesentia domi esse potestis; sin homo amens diripiendam urbem daturus est, vereor ut Dolabella ipse satis nobis prodesse possit. Etiam illud metuo, ne iam intercludamur ut, cum velitis exire, non liceat. Reliquum est, quod ipsae optime considerabitis, vestri similes feminae sintne Romae; si enim non sunt, videndum est ut honeste vos esse possitis. Quomodo quidem nunc se res habet, modo ut haec nobis loca tenere liceat, bellissime vel mecum vel in nostris praediis esse poteritis. Etiam illud verendum est, ne brevi tempore fame in urbe sit. His de rebus velim cum Pomponio, cum Camillo, cum quibus vobis videbitur consideretis, ad summam animo forti sitis.

CICERONE

¹ Ille: Cesare.

Ablativo

Traduci e spiega l'applicazione della sintassi dei casi.

1. Phidiae simulacra semper admiratione digna visa sunt. (CIC.) **T**
2. Corpori multo cibo, multa potione opus est. (SEN.) **T**
3. Milites dato signo celeriter ad munitionem perveniunt eamque transgressi trinis castris potiuntur. (CAES.) **T**

Inutili sforzi per la pace **T**

Exercitum cum militari more ad pugnam cohortaretur suaque in eum perpetui temporis officia praedicaret, in primis commemoravit testibus se militibus uti posse quanto studio pacem petisset, quae per Vatinius in conloquiis, quae per Aulum Clodium cum Scipione egisset, quibus modis ad Oricum cum Libone de mittendis legatis contendisset. Neque se umquam abuti militum sanguine neque rem publicam alterutro exercitu privare voluisse. Hac habita oratione, exposcentibus militibus et studio pugnae ardentibus tuba signum dedit.

CESARE

4. Nil opus est te circumagi: quendam volo visere non tibi notum, trans Tiberim longe cubat is prope Caesaris hortos. (HOR.)
5. Nihil est peius iis, qui paulum aliquid ultra primas litteras progressi, falsam sibi scientiae persuasionem induerunt. (QUINT.)
6. Magno inique pretio virtus aestimatur. (V. MAX.)
7. Coloniam aegre patientes velut arcem suis finibus impositam summa vi expugnare adorti ab ipsis colonis pelluntur. (LIV.)
8. Nil moveor lacrimis: ista sum captus ab arte; semper ab insidiis, Cynthia, flere soles. (PROP.)

Senza sicurezza crolla anche l'economia

Cum hostium copiae non longe absunt, etiam si inruptio nulla facta est, tamen pecua relinquuntur, agri cultura deseritur, mercatorum navigatio conquiescit. Ita neque ex portu neque ex decumis neque ex scriptura vectigal conservari potest; quare saepe totius anni fructus uno rumore periculi atque uno belli terrore amittitur. Quo tandem igitur animo esse existimatis aut eos qui vectigalia nobis pensitant aut eos qui exercent atque exigunt, cum duo reges¹ cum maximis copiis propter adsint, cum una excursio equitatus per brevi tempore totius anni vectigal auferre possit, cum publicani familias maximas, quas in salinis habent, quas in agris, quas in portibus atque in custodiis magno periculo se habere arbitrentur? Putatisne vos illis rebus frui posse, nisi eos, qui vobis fructui sunt, conservaveritis non solum, ut ante dixi, calamitate, sed etiam calamitatis formidine liberatos?

CICERONE

¹ *Duo reges*: Mitridate e Tigrane.

Tempo e luogo

Traduci e spiega l'applicazione della sintassi dei casi.

1. Igitur domi militiaeque boni mores colebantur; concordia maxuma, minuma avaritia erat; ius bonumque apud eos non legibus magis quam natura valebat. (SALL.) **T**
2. Misso ad vesperum senatu, omnes qui sunt eius ordinis a Pompeio evocantur. (CAES.) **T**
3. Hinc muli Capuae clitellas tempore ponunt. (HOR.) **T**

Cesare e gli Elvezi

Omnibus rebus ad profectionem comparatis, Helvetii diem dicunt, qua die ad ripam Rhodani omnes convenient. Is dies erat a.d. V Kal. April. L. Pisone A. Gabinio consulibus. Caesari cum id nuntiatum esset, eos per provinciam nostram iter facere conari, maturat ab urbe proficisci et, quam maximis potest itineribus, in Galliam ulteriorem contendit et ad Genavam pervenit. Provinciae toti quam maximum potest militum numerum imperat (erat omnino in Gallia ulteriore legio una), pontem, qui erat ad Genavam, iubet rescindi.

CESARE

4. Flumen est Arar, quod per fines Aeduorum et Sequanorum in Rhodanum influit incredibili lenitate, ita ut oculis in utram partem fluat iudicari non possit. (CAES.)
5. Eodem tempore equitatus eius nostris equitibus adpropinquabat, et acies instructa a nostris qui castra occupaverant cernebatur, omniaque sunt subito mutata. (CAES.)
6. Ventum erat ad Vestae, quarta iam parte diei praeterita, et casu tum respondere vadato debebat; quod ni fecisset, perdere litem. (HOR.)
7. Eodem anno classis Graecorum, Cleonymo duce Lacedaemonio ad Italiae litora adpulsa Thurias urbem in Sallentinis cepit. (LIV.)
8. Non ego nunc Hadriae vereor mare noscere tecum, Tulle, neque Aegaeo ducere vela salo, cum quo Rhiphaeos possim conscendere montes ulteriusque domos vadere Memnonias. (PROP.)

Cesare in Oriente

In Macedoniam transgressus Pompeium, per quattuor paene menses maximis obsessum operibus, ad extremum Pharsalico proelio fudit et fugientem Alexandriam persecutus, ut occisum deprehendit, cum Ptolemaeo rege, a quo sibi quoque insidias tendi videbat, bellum sane difficillimum gessit, neque loco neque tempore aequo, sed hieme anni et intra moenia copiosissimi ac sollertissimi hostis, inops ipse omnium rerum atque inparatus. Regnum Aegypti victor Cleopatrae fratrique eius minori permisit, veritus provinciam facere, ne quandoque violentiorem praesidem nacta novarum rerum materia esset. Ab Alexandria in Syriam et inde Pontum transiit urgentibus de Pharnace nuntiis, quem Mithridatis Magni filium ac tunc occasione temporum bellantem iamque multiplici successu praeferocem, intra quintum quam adfuerat diem, quattuor quibus in conspectum venit horis, una profligavit acie; crebro commemorans Pompei felicitatem, cui praecipua militiae laus de tam inbelli genere hostium contigisset. Dehinc Scipionem ac Iubam reliquias partium in Africa refoventis devicit, Pompei liberos in Hispania.

SVETONIO

